



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii  
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

**Fabri, Honoré**

**Coloniæ, 1659**

§. I. Consectarium primum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39536**

post admissam lethalem noxiam statim animum exhomologesi purgare, tutius est, quam salutaris usum remedii differre; differre tamen per se tam excludit peccatum, quam non differre: igitur, quantum ad hoc, utraque opinio æquè tuta est, tum formaliter tum materialiter. sed de his fusiùs infra.

## S E C T I O . I I I .

*Idem probabilitatis commentum quibusdam ejus Consectariis evertitur.*

## §. I.

*Consectarium primum.*

**S**i probabilis opinio sufficeret, frustra, inquis, homines cognitionem veritatis à Deo peterent; immo ipsa veritas fugienda esset, qua semel cognita oppositum non licet. Ita prorsus Jansenius, Calvinus præeunte, docet, frustra divinam gratiam fusis ad Deum precibus peti, si gratia sufficiens nunquam deest. Quasi verò cognitio veritatis supernaturalis, non sit donum Dei, quod à Deo flagitare possimus; & multæ nobis cognitiones non desint, \* ad salutem necessariæ, vel utiles, quas vult Deus, ut ab ipso petamus; & grave aliquando periculum non sit, ne culpando errore ducamur: ac proinde Deus exorandus, ut ab eo liberemur. adde alia ferè innumera, quæ, ut in via Domini rectè ambulemus, divini luminis appulu cognoscere dumtaxat possimus. Quod subiectis, juxta hujus doctrinæ principia, veritatem potius sugendam esse, & merè opinantium meliorem conditionem videri, quam eorum, qui veri-

\* Pag. 83.

tatem

tatem certò cognoscunt; frivolum est, & puerile. Pariter ego dicere, meliorem esse ebrii, vel delirantis conditionem, quām hominis temperantis & sapientis; quia hic in multis peccare potest, quæ licet ille admittat, non peccat. Sic voluntatem Domini sciens, & non faciens, vapulabit multis, & paucis nesciens. Apage igitur plusquam aniles nugas.

§. I I.

*Consecutarium secundum.*

**S**I verum est, inquis, quod Escobarius dicit, duas opiniones probabiles oppositas ex æquo securas esse, frustra litigant Theologi, utrum hoc, vel illud liceat; falluntur enim, qui negant licare. Argutulus videri vis, dum adeò pueriliter exultas. Sed hæ bullæ facile diffiantur. Nam primò opiniones æquè probabiles, sunt æquè securæ formaliter; ut nemo negat, nisi fortè quis Jansenii de grege: si verò altera probabilior; sunt qui dicant, pauciores licet, teneri quempiam ad probabiliorem, atque adeò minus probabile tutam non esse; igitur non æquè tutam: qui verò illum negant teneri, minus probabile tutam esse dicunt; & inter hos aliqui minus tutam: cùm enim, inquiunt, opinio probabilis, in re morali, sit probaliter tuta, quid mirum, si vel magis, vel minus probabile sit, tutam esse? At dicendum mihi videtur omnem opinionem verè probabilem certò tutam esse; ita ut hæc sit universalis sententia: certum est, omnem opinionem verè probabilem tutam esse; nisi obstet, ut dixi, aliud præceptum; ac proinde æquè tutam: iminò cum effe